Quelle: https://manuscripta.at/?ID=6330
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png">

mandat. Suadeo ut vos illi obtemperetis. Cus-
todiatis quoque legem matris, ut addat graciam capiti
vestro et torques collo vestro. Sic salvatoris verba
promittunt hiis qui suis matribus obsequentes.
Nicolaus Est ne ullum apostolice sedis aut
generalis concilii decretum, quod laicos sub utraque specie
communicare prohibeat. Eneas Volo te obtemperare, si
decretum ostendero. Nicolaus Obtemperabimus, si non
erit legi divine contrarium. Eneas Lex divina nulla
est, cui sancta synodus possit esse contraria. Nicolaus
Tibi sic videtur, nobis longe alia sententia est.
Eneas Vos communionem duplicis speciei de precepto domini
dicitis. Nunc quero, cui magis credendum est, vobis
an sedi romane? Nicolaus Ei credendum est
cui divina scriptura suffragatur. Eneas At vos
dicitis legem divinam sentire vobiscum, nos contra.
Quid modo? Nicolaus Cui verba divine legis
propinquiora sunt, huic fidem digniorem puto. Ene-
as Quod si est dubium, quis obtinebit? Nicolaus
Christus dominus iudicabit. Eneas Multum quero ut in-
telligo iudicare. Nullum in terra superiorem voles qui
res dubias diffiniat. Sic neque romanum pon-
tificem caput esse christiani populi creditis, neque genera-
lia concilia recipitis, neque militantem ecclesiam
honoratis, cuius est congregatio fidelium. Doctores veteres